



Conradus Fossor uulgò Reüter dictus, patria Nordlingensis, a pueris operam literis dedit, & ipsis fundamentis in Academij optimè perceptis, pietatis amore Cæsareensi monasteriū ordinis Cisterciensium iuxta Donouerdam Sueuiæ, ubi Danubius & Lycus confluunt, intrauit. Erat monasterium illud Anno millesimo centesimo tricesimo tertio ab Heinrico comite de Lechsgmund, & eius coniuge Loicarde fundatum, & liberaliter donatum. In eo loco Conradus magna diligentia Philosophiæ & Theologiæ incubuit, & præclaram sibi eruditionem comparauit. Fuit etiam legum pontificiarum & ciuilium eximiè gnatus, atque talis Poëta, qualis ipsius seculo ne unus in omnibus Germaniæ monasterijs fuisse dicitur. Extant enim eius Poëmata Mortilogi titulo, Augustæ Vindelicorum anno millesimo quingentesimo octavo edita. Cum itaq; Conradus talis esset, post Vdalricum primum abbatem, qui ex Lucellensi monasterio eò uocatus erat, in ordine tricesimus quintus constituitur, anno millesimo quingentesimo nono. In eo itaque loco Conradus celebrem scholam instituit, atq; iuuentutem suo exemplo ad uirtutes incitauit. Quin etiam suum monasterium multis ædificijs exornauit, atque id turribus, muro, & fossa comuniuit. Cum hoc modo per triginta & amplius annos optimè præfuisset, tandem anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo decessit, & Iohannem Zauher post se Abbatem habuit. Tumulo eius tale Epitaphium adiectum.